



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini M. D. XXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

Esa. 56.

male parcendo aut conuiuendo ream facere,
Cui obiiceretur illud *Esaia*. Canes muti, non
valentes latrare.

*Hac de Actis & scriptis Lutheri Misna scripta
fuerunt, Anno M. D. XXXIII. Quae auctus
deinceps vsque ad obitum Lutheri supplementi
vice superaddita sunt, Ratisponae sunt scripta.*

*Acta & scripta Lutheri,
Anno Domini
M. D. XXXV.*

*De infauo
Regis An
glie diuor
tio.*

Accidit hoc anno lamentabilis fidei ac
religionis turbatio, studio & instiga
tione malignorum hominum, in ho
rentissimo Regno Angliae, accepta per infauo
stum Regis diuortium occasione, dum Cle
mens Papa VII. nolisset diuortium illud per
mittere. Contra quod & Cochlaeus librum ad
didit, de Matrimonio Sereniss. Regis Angliae,
Henrici Octauis, inscriptum. In quo prolixe
probatum sanctitas Matrimonij, contra quod
multi suaserant Regi diuortium. Cum autem
optimi & Doctissimi viri, Ioannes Fischerus,
Episcopus Rossensis, & Thomas Morus, su
premus Cancellarius Regni, dissuasissent di
uortium illud: aliquandiu captiui detenti sunt
in carceribus, ac tandem hoc anno (cum neque
diuortium neque defectionem Regis, qua ab
obedientia Ro. Pontificis & Vnitatem Ecclesie
discellit,

accessit, seque ipsum supremum Caput Eccle-
 siæ Anglicanæ constituit, approbarent Jambo
 capite truncati, & ultimo supplicio publice af-
 fecti sunt. De quorum sane passione scripsit
 quidam in hæc verba. Sexto Nonas Iulij, ob-
 truncatus est in Britania Thomas Morus, non
 minorem constantiam in iudicio & supplicio
 pro se ferens, quàm iniquissimo Atheniensium
 Senatusconsulto condemnatus Socrates: Pau-
 cis diebus ante illum interfecto Episcopo Ros-
 sensis, in quem Regis furor non alia causa vehe-
 mentius exarsit, quàm quod is in Cardinalium
 ordinem à Pontifice esset coaptatus. Sed audi,
 quod vincit omnem feritatem. Caput Rossen-
 sis inditum stipiti, multis diebus omnium ocu-
 lis fuit expositum: quod non modo non con-
 tabuisset, verum etiam multo venerabilius esse
 factum ferebatur. Vbi is rumor percrebruit,
 mox amotum est loco. Et ne quid in Mori ca-
 pite existeret, quo populus religione turbare-
 tur, audi iam facinus immanissimum. Renoua-
 ta est Thiestra fabula, & caput eius non nisi lō
 ga coctura maceratum, quo celerius diffueret,
 hastili est impositum. Hæc ibi. Secuta sunt
 & alia plus satis Tragica & immania, in plæ-
 rosque Monachos in publico ædita suppli-
 cia. Exorti item graues contra Regem mo-
 tus & seditiones, quæ vi militari & a mis sunt
 suppressæ. Admissa item fuerunt sectarum
 dogmata, atque etiam ad tempus in con-
 cionibus populo prædicata. Missi præterea
 Ll ij

*Passio Ioan-
 nis Episcopi
 Rossensis, &
 Thomæ Mo-
 ri.*

*Magna in
 Regno An-
 glie mutatio.*

Cratores Vuittembergam, inter quos fuit Thomas Fuxus, Episcopus Anglus. Aditi quoque libri apud Anglos aperte Lutheani: Demolita ac penitus deuastata Monasteria, quorum locupletissimi census Regis fisco sunt additi.

Papa Paulus III.

Mortuo autem Papa Clemente VII. vnanimi omnium Cardinalium voto & consensu electus est Alexander Farnesius, dictus deinceps Paulus Tertius, qui contra defectionem & crudelitatem Regis Angliæ, multis conquestus est epistolis ad Reges & Principes. Sed &

Erasmus de Roffensi & Moro.

Erasmus Roterodamus, quanquam à Rege illo sæpe liberaliter honoratus fuerat: de morte tamen Roffensis & Mori in suo Ecclesiaste (quem de modo concionandi scripsit) libere sanè publice testatus est dolorem. Desertur (inquit) merces naufragio amissæ. At que merx tam preciosa, vt cum sincero amico conferri queat? Quid igitur hac tempestate crudelius, quæ me tot spectatissimis amici spoliauit? Prædem Guilhelmo Varramo, Archiepiscopo Cantuariensi: nuper Guilhelmo Montioio, Episcopo Roffensi, & Thoma Moro, qui fuit eius regni supremus Iudex. Cui pectus erat omninè candidius: Ingenium, quale Anglia nec habuit vnquam, nec habitura est, alioqui nequaquam infeliciū ingeniorum parens. Hæc

Luth. contra Carl. Moguntinum. Calumnia in Catholicos Principes.

Erasmus. Lutherus in speratis huiusmodi apud Anglos doctrinæ suæ successibus, ferocior adhuc superbiórque factus: In Cardinalem Moguntinum iterum per multas calumnias

Teu-

Teuthonice inuectus est, & non modo in eū,
sed etiam in alios quoscunque Catholicos Im-
perij Principes ac Status. Christum (inquit) in
serbo suo, & in manifeste agnita veritate Euā-
gelij, Atque Christianos eius, ex mera vi ob-
dinatāque malitia condemnant ac persecun-
tur. Item, Seditiosi sunt & rebelles Cæsari,
Deique fures, qui neque Deo, neque veræ Ec-
clesiæ Christi, neque Cæsari, aut vlli potestati
obedire dignantur. Item, Non solum inobe-
dientes sunt, verum etiam furunt ac sæuiunt
in Christianos innocentes: quia occidunt ac
latroniciis interimunt quencunque possunt,
perinde ac si vellent libenter regnum Dei to-
tum semel delere. Et hinc ita concludit. Pos-
sunt igitur etiam secundum ius Pontificium ex-
pelli aut occidi: quia non tenemur vim pati,
sed vim vi repellere licet. Et specialiter ac no-
minatim contra Cardinalem illum sic ait. Si ci-
ues Hallenses & subditi prouinciales, Archi-
episcopus Magdeburgensis, Episcopus Mo-
guntinum, Tyrannum suum, Cardinalem, ex-
pellerent aut interficerent, iuste facerent ei iux-
ta Pontificia iura. Ipse enim optime scit (in-
quit) quod notoriam facit eis iniuriam, & agni-
tam persequitur veritatem. Aduersus hæc Co-
chlæus respondens, inter cætera sic habet. Car-
dinalis iste, subditis suis, qui ab Ecclesiæ Ca-
tholicæ obedientia, aduersus proprium domi-
num suum, ad Lutheri hæresim, per inobedi-
entiam defecerunt, admodum leuem modicam-

*Pœna leuis
& modica in-
hæret.*

*C. de heret.
l. si vero cum
seq.*

que pœnam infligit. Quippe præcepit, ut venditis bonis suis, alio se conferant, ne velut oves contagiosæ, alios bonos Christianos obediensque subditos cohabitando inficiant. Hoc autem facere tenetur Cardinalis, sub salute animæ suæ, non solum tanquam Catholicus Princeps, Cui hoc etiam in iure Civili, legibusque Imperialibus, iniunctum atque præceptum est. Verum etiam tanquam legitimus pastor, Ordinariusque Episcopus, à spiritu sancto vocatus ac positus, velut supremus speculator, cui animarum cura à Deo commissa est. Quemadmodum docet eum Paulus Apostolus Act. 20. Christus Dominus, Ioan. 10. Ut bonus pastor, quando viderit lupum (hoc est hæreticum) venientem, non fugiat neque conniveat, neque sinat lupum oves dispergere, mactare ac perdere: sed animam suam ponat pro ouibus suis, à lupi moribus defendendis. Quemadmodum & Propheta Ezechiel ex ore Dei pronunciat cap. 3. & 33. Cum igitur quilibet hæreticus pro rapaci lupo habendus sit, sicut Christus docet Matth. 7. & Paulus ad Titum 3. Potuisset profecto Cardinalis optimo iure subditos suos Lutheranos, qui à Lutherismo desistere volebant, punire, non solum in bonis, sed etiam in corpore, eisque tollere non modo cunctas facultates omnemque substantiam, verum etiam corpus & vitam, iuxta dictamen legum Imperialium in Codice de hæreticis: Quandoquidem Lutherus publice pro hæretico notorio condemnatus

*C. de heret.
l. Quicumque.
§. nemo
cum seq.*

denatus ac declaratus est ab vtraque potesta-
 te, Papa & Imperatore. Multo igitur magis
 timere debet Cardinalis, quod nimium mitis ac
 clemens fuerit erga eiusmodi obstinatos hære-
 ticos, quàm quod nimis dure aut Tyrannice ad-
 versus eos egerit, sicut mendaciter imputat ei
 Lutherus. Timendum est enim, ne expulsi eius-
 modi hæretici, alibi quoque velut lupi rapa-
 ces, simpliciores Christi ouiculas inficiant, at-
 que ad defectionem concitent, & in sempiter-
 nam mortem abripiant: nène literis & libellis
 venenosis, quos aliis ex locis ad subditos Car-
 dinalis occulte immittant, bonos hactenus &
 obediētes subditos, ad consimilem defectio-
 nem & inobediētiā exemplo suo sollicitēt.

Cæterum Laicus quidam, Hallensis ciuis, &
 subdit^{us} dicti Cardinalis, nomine Caspar Quer-
 hamer, miro studio ex diuersis Lutheri libris
 collegit XXXVI. Contrarietates, super vno dūta
 rat articulo, qui est de cōmunionē Eucharistiæ,
 sub vna aut sub vtraq; specie. Quas Teuthoni-
 ce edidit, in lōgā tabulā productas, vt parietib^{us}
 domorū affixæ, turpitudinē & incōstātiā Lu-
 theri omnib^{us} ad oculū palā ostēderēt: Quas in
 Latinum conuertit Cochlæus, & in præfatione
 ad Ioannem Matthæum, Episcopum Veronen-
 sem sic ait. Nuper vero suscitauit Dominus ad-
 versus Lutherum spiritum Laici cuiusdā Hal-
 lis in Saxonia, qui taurum istam cornupetam
 ita prostrauit, ac proprio ipsius gladio iugula-
 uit, vt neq; Goliath ille Philistæ^{us} magis prostrat^{us}.

[Ll iij]

*Cardinalis ni-
 mis mitis in
 hæret.*

*36. contrarie-
 tates Lutheri
 in vno articulo.*

2. Reg. 17.

à Dauide, nec duorum seniorum libido & calumnia aduersus Susannam, certius aut apertius à Daniele conuicta videri queat. Quomodo igitur timeant enim Docti Theologi, cui sic vellicat barbam, frontemque ferit atque confundit simplex Laicus? Titulus autem, quem Laicus ille posuit, sic habet. Tabula, cunctis, qui à Luthero seduci nolunt, vtilis & necessaria.

*Acta & scripta Lutheri,
Anno Domini
M. D. XXXVI.*

*Ficta inter
Luthe. &
Zuing. con-
cordia.*

VM haecenus propter diurnam contentionem, quæ erat inter Lutheranos & Zuingianos, male audirent Concionatores vtriusque partis: cæperunt rursus inter se de concordia agere, sicut antea fecerant Marpurgi, quando Zuinglius adhuc vivebat. Missi sunt itaque ex Ciuitatibus Imperij Zuinglianis, vt pote, ex Argentina Caprio & Bucerus, ex Augusta Bonifacius & Mulschius, ex Vlma Frechus &c. Vuittenbergam ad Lutheranos, vt cum eis concordarent. Egerunt autem præcipue de Baptismo, de Eucharistia & de Pœnitentia, & post multas exprobrationes & querelas inuicem dictas, conscripserunt formulam concordie, sed inefficacem: quia propter aliorum absentiam, & sine suorum Magistratum consensu, concludere non audebant.